



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

8. De completorio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

sanctum verbum miserere omnium infirmantium, & recipe animas eorum qui in mortis laborant agonia.

DE VESPERIS.

CAPVT VII.

Ad vesperarum officium sollicitus debet se religiosus præparare, vt offerat Domino sacrificium vespertinum. Et matutinorum & vigiliarum repetita præparatione, cum fuerit in oratorio in loco suo, attracto spiritu, ascendat mente cælum, præsentans se ante thronum diuinæ maiestatis, & multitudinis Angelorum & omnium sanctorum in circuitu throni psallentium, & quasi inter eos cum summa sit reuerentia, laudans Deum,

- | | | | |
|----------------|----------------------------------|----------------|--|
| Concinat Psal. | { Primum
Secundum
Tertium | } cum | { Angelis.
Patriarchis.
Prophetis. |
| Cantet | { Quartum
Cap. & R.
Hymnum | } cum | { Apostolis.
Martyribus.
Confessoribus. |
| Concinat | { Magnificat | { ver. quinque | { Primos cum Dominam
nostra : secundos cum
virginibus. |
| Concinat | { Pater noster, & collectam. | | { In persona Ecclesie militantis. |

DE COMPLETORIO.

CAPVT VIII.

Inter horas canonicas diurnas, vltima est completorium, & quemadmodum hic est terminus diei

diei & operum vitæ actiuæ, ita deuotus religiosus illis expletis transire debet ad contemplationem, & ab exterioribus ad interiora. Et ideo in principio Completorij præmittimus, Cōuer-
te nos Deus, &c. rogantes Dominum vt conuertat nos ab actione ad contemplationem.

PSALLE primū Psalmum cum (Psal. 1.) vniuersis sanctis Patribus, in persona animarum in purgatorio luentium: repræsentans Dominum ad lymbum descendentem. Est autem sic orandum: O Domine per tuum sacrosanctum descensum ad lymbum, miserere omnium animarum in purgatorio commanentium.

PSALMVS secundus est (Psal. 2.) psallendus in persona sanctæ Ecclesiæ, repræsentans Redemptorem nostrum in monte oliuarum in die Ascensionis cum Domina nostra, & toto illo sacro Collegio eiusdem Ecclesiæ typum gerens. Et orabis sic: O Domine per tuam sanctam ascensionem miserere Ecclesiæ tuæ, ordinum & graduum eius.

TERTIVM concine Psalmum (Psal. 3.) & totum completorij residuum in persona totius nostræ Congregationis cum Domina nostra, & cum Apostolis & discipulis & sanctis mulieribus in cœnaculo ad insinuandum aduentum Spiritus sancti. Ora verò hoc modo: O Domine per aduentum Spiritus sancti miserere huic nostræ Congregationis: & dignare in nobis eiusdem sancti Spiritus gratiam & dona diffundere: vt ipse nos semper gubernet & regat.

Concl

Conclusio huius operis.

DIXIMVS hæc de repræsentationibus deuotis & obiectis ad quæ in singulis Psalmis diuini officij debet religiosus respicere. Nam sicut præmissum est, multum confert vt attentissimus & deuoti mentem in aliquo certo loco stabilire. His obiectis vsi sunt Sancti in psalmodia diuersimodè. Nam quidam habuerunt respectum ad horas Dominicæ passionis. Alij ad vitam Redemptoris nostri per totam hebdomadam, vt ostendit Bonauentura in suo libro de Cõtèmplicatione vitæ Christi. Nonnulli ad Euangelium literaliter, vt scribit Gerson in suo Monotessaron. Quidam alij ad diuina beneficia. Et quia non omnia conueniunt omnibus secundum capacitatem huius nostri temporis, ex omnibus præmissis excerpimus illa, quæ melius & minori fastidio valent exercitari. Vnde qui dignus citharista cupit esse Domini, modum supra positum obseruet diligenter. Quod si egerit; secunda conscientia poterit apparere super distractionibus in officio diuino habitis ante diuinam clementiam, faciens quod in se est. nam absque mentis distractione Deo cantare Angelicum est, non humanum officium. Et vt parum eruditi intelligant quid nomine obiecti significatur, dicimus, quod in præsentibus obiectum dicitur quæcunque materia deuota quæ præsentatur intellectui, vt vita Domini, Dei beneficia, status diuersi personarum: vt supra paruit.

Quomo-

382 DIRECTORIUM HORARVM
QVOMODO SVNT HORAE CANONI-
ca terminanda: & quid meditari debet bonus mona-
chus in illa morula, in qua post singulas horas
canonicas in oratorio fle-
bit genua.

CAPVT IX.

DIximus ecce de horis canonicis quantum
ad ingressum, & quantum ad progressum,
videndum est modò de eisdem quantum ad e-
gressum. Legitur quippe in Ecclesiaste: Melior
est finis orationis, quàm principium. Hoc dicit,
quia omnis laus in fine canitur. Nam opus cuius
finis bonus est, ipsum quoq; bonum est. Non igitur
fratres decet vt finita hora canonica, de ora-
torio mox egredi festinemus. Valde enim hoc
Sancti reprehendunt. quinimmo expleto pen-
seruitutis nostræ debito, mens nostra sollicita sit
ex intimis præcordiis Dominũ exorare: quate-
nus seruitium nostrum gratum habere dignetur:
& humili corde

Veniam petere,
Gratias agere,
Sacrificium offerre.

PRIMO consideret, si habuerit attentionem
deuotionem, & reuerentiam. & de eo in quo
cognouerit defecisse, exposcat sibi à Domino
indulgentiam: vt nostræ humilitas orationis
suppleat imperfectionem deuotionis. & dicat
corde contrito illa Publicani quinque verba: De-
us propitius esto mihi peccatori. sunt enim in-
gentis virtutis, & admirandæ deuotionis. Si au-
tem tantam efficaciam habuerunt, vt publica
nu